

## De Causa finali, &c.

69

temperaverit, quando post resurrectionem suam cum Apostolis, & Discipulis familiariter versatus est. Potuisse autem nasci, & crescere, sicut potuit nasci, & crescere Adam in statu innocentiae; vel alii modis, quos Deus novit, & homo nescit; ut ait P. Magnus,

Ad XIII. Quanvis gratia illa data fuisset per Christum, semper tamen fuisset minor illa, qua data est per Christum, & presente Christo. Siquidem gratia data per Abramum in circumcisione, & per Moysen in lege, fuit etiam per Christum; & tamen non fuit illi aequalis, quae data est per Christum presente Christo.

Ad XIV. Ex dictis in precedentibus a nobis de Incarnationis necessitate, haec non fuit talis, ut non potuerit alio modo suppleri. Et quanvis dici possit, quod non fuisset de condigno satisfactio, si alio modo suppleri potuisset; atamen nulla fuit necessitas, ut fuerit de condigno satisfactio, quia potuisset Deus eam alio modo perfectam recipere, & acceptare; ut ex ibi dictis satis intelligitur.

Ad XV. distinguitur consequens: Ergo non potuisset decerni Incarnationis secundum circumstantiam carnis impossibilis; impossibilis ab intrinseco, transeat; impossibilis ab extrinseco, seu ex privilegio, vel ex lege, quae attemperasset partes compositi humani, ac qualitates, ut ajunt, eiusdem; negatur. Et hoc negari non potest, quia hanc eandem impossibilitatem habebat Adamus in statu innocentiae, & eam servasset, si non peccasset; ut ait Hennus,

Ad XVI. Distinguitur major; abstrahendo a carne passibili, & impossibili in actu primo; negatur; quia sic decrevisset ipsum passibilem, quia decretisset hominem tam, qualis erat Adam in statu innocentiae, qui ex intrinsecis suis passibilis erat; abstrahendo a carne passibili, & impossibili in actu secundo; seu abstrahendo a de facto patetur, nec ne; conceditur major. Sic distincta minori, negatur consequentia.

Ad XVII. Falsum est, quod decretum Dei, ut sit efficax, debeat semper respicere substantiam, & circumstantias pro eodem signo, ut nos loquimur. Etenim, etiam in hominibus potest quis habere intentionem efficacem donandi mille Amico suo, absque eo quod cogiter, si esse debeant in auro, an in argento, quando utriusque generis moneta in sua est potestate.

Ad XVIII. Non possunt intelligi verba illa de sapientia increata, ut in probationibus diximus; tum etiam, quia aliter eadem sapientia esset creata, & increata, increata, ut Adversarii supponunt; creata, quia ibi dicit de seipso: Dominus creavit me; uti est septuaginta Interpretum versio.

Ad XIX. quod est argumentum Vasquez, dicimus cum Henno, quod sapientia in genere nihil est reale, & consequenter creari non potest; terminus enim creationis aliquid reale positivum esse debet; unde semper stat, quod sit sapientia non abstracta, sed concreta; non increata, sed creata.

Ad XX. quod est argumentum Contensonii pro prima parte, dicimus, quod tunc importaret primum dignitatis, quando diceretur esse simpliciter ante colles, terram, fontes &c. At in eo loco dicitur fusse factam, fusse creatam, ante omnes colles, terram, fontes &c.: Ergo denotat prioritatem voluntatis, loquendo de intentione faciendo, & creandi. Pro secunda vero parte est argumentum Goneti, & juxta ipsum, finis cuius, seu cuius est illud bonum, quod appetitur, & cujus gratia ponuntur media; finis vero cui est illud bonum, cui, vel propter quod bonum illud appetitur. Infirmus sumit medicinam; finis cuius illius lunctionis, est sanitas, quia illius causa sumitur medicina; finis cui est ipsem infirmus, qui sibi vult sanitatem. Unde vult Gonerus, Christum esse finem cuius omnium creaturarum; qui est illud bonum, cuius gratia vult omnes creaturas; genus autem humanum redimendum esse finem cui, quia illud est, cui tanquam utilis appetitur Christus. Haec ipse. Attamen a nobis negatur, genus humanum esse finem cui appetitur Christus simpliciter; quia Christus ut sic non habet rationem medicinæ; sed est finis, cui appetitur Christus ut passibilis; & sic bene stat, quod quanvis Christus ut passibilis sit posterior genere humano redimendo, sit tamen prior illo, si secundum substantiam consideretur. Haec ex Henno transcriptissimus.

Dicimus IV. Christum de facto venisse ut passibilem ad delenda omnia peccata, principalius autem propter originalem, quam propter actualia.

I. Probatur I. pars ex Scripturis. I. Joann. 1. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Ad Titum 2. Dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni ini-